clamat literis; illa aures locutione, hic oculos scriptione ine=
briat. Felicem itaque te Homere dixerunt omnes, omnis aeta=
tis ordinisque scriptores, qui, quod tua illa caecitate propius ad
Deos accessisti, divinos etiam versus è sedata placataque mente;
ac tot tumultibus, quos important oculi, liberâ emersisti:
miseros illos et infelices, qui praeter caetera incommoda, id tan=
tum etiam, ut suam miseriam et infelicitatem contemplari neces=
sario debeant. Iam verò Rhetorica cancellos Philosophiaeque fe=
nestras introspiciamus, num quemdam caecum inibi reperiamus? nunquid
Lippus Florentius oculis orbatus fuit? animo tamen et ingenio
clarissimo acutissimè vidit, cùm assiduè Rhetorum Philosopho=
rumque auditoria non parvo cum fructu frequentaret. Num=
quid Ioannes Ferrandus, Nicasius Vordanus viri in re
literaria excellentissimi? caeci tamen à pueris fuerunt. Et
quid mirum? causa cur caeci prae caeteris studiorum doctrinarumque
florere possint, scire cupitis? Apprehensio, imaginatio, et memo=
ria in animo omnino congregantur, congregataque firmius ac
tenacius adhaerent, dum per oculorum licentiam evagari, di=
strahi atque dispergi non possunt. Hinc fit, ut saepenumero
caecos ingenio dociliores excellentioresque cernamus, audita
citius capere, capta diutius retinere quàm videntes, et quod
visu non possunt, hoc animo, ingenioque praestare restaura=